

V C
4925



h.

J



N. 3, 19.

Vc
4925

ENSIS-ELECTORIUS,

S. R. I.

Prætorio-Præfecti

Insigne,

Æ. H.

Serenissimi Saxoniae Electoris

JOHANNIS GEORGI II.

PATRIS-PATRIÆ

Pij, Magnanimi, Pacifici;

Ipsis Genethliorum feriis

Prid. Cal. Junij

Primo augustissimæ Sux vitæ Jubilæo

SURSUM-DEORSUM

exacto

FELICITER!

LIPSIÆ

in

Solemni Utriusq; Procerum Reipubl. confessu

H. H.

E.

Panegyristâ

Excelsissimæ Ipsius Serenitatis

Alumno

Christophoro Heinrich Starck

Lunæburgâ-Saxone.

cl. Idc LXIII.



Serenissimo ac Potentissimo

Principi ac Domino
DOMINO

JOHANNI GEORGIO II.

D. G.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ac MONTIUM
DUCI, S. R. IMPERII PRÆFECTO PRÆTORIO
& ELECTORI-OCTOVIRO,

Landgravio Thuringiæ, Marchioni

Misniæ & Utriusq; Lusatia, nec non Burggravio
Magdeburgico, Comiti Marchæ & Ra-
vensburgi, Dynastæ in
Ravenstein,

Patriæ Patri

Pio, Magnanimo, Pacifico, Munifico,
Excelsissimæq; Ejus Serenitati
Unigenæ-Filio,

Serenissimo ac Celsissimo

Principi ac Domino
DOMINO

JOHANNI GEORGIO III.

D. G.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ac MONTIUM
DUCI, AGALMATIS-GLADII-OCTOVIRALIS
HÆREDI,

Landgravio Thuringiæ, Marchioni

Misniæ, & Utriusq; Lusatia, nec non Comiti Marchæ
& Ravensburgi, Dynastæ in
Ravenstein,

Patriæ Delicio

Uni, incluto, dulci, perenni,

Domini suis clementissimis

H. N. G.

Prisca Solduriorum lege,
Devotissimus

Christophorus Heinrich Starck
Luneburgâ-Saxo.



HIC JEHOVA GLADIUS!

Nimirum HÆC est DIES ISTA AUGUSTA, AUGUSTISSIME ELECTOR, (TE enim absentem, tanquam præsentem, victi splendore MAJESTATIS TUÆ, devotè jam nunc adoramus;) Nimirum, inquam, HÆC est DIES ISTA AUGUSTA, quam ut omnes & exquisitissimis gaudiis mentis & lætissimis verborum honoribus, per multos annorum recursus remeantem, celebrare optamus, ita in ultima hac Maji luce, quæ TIBI anno ab hinc quinquagesimo, ipsius Jehovæ manu obstetricante, extitit NATALIS, ter geminis tollere honoribus, & Pietas imperat, & illustre decus nos invitat. Verum enim vero, quid prius dicam solitis laudibus? An DIVUM ILLUM PARENTEM TUUM, cujus nomen ad omnem hominum memoriam dudum inclaruit, ut nunquam ita magnificè quicquam dici possit, id EJUS quin superaverit virtus? An

in signi elogio referam famam ejus incly-
tam, quæ in TE TUISQVE FRATRIBUS ad-
huc velut arbor occulto ævo crescit u-
berrimè? An post fata EUM felicem ac
beatum prædicem, quod hõc die PARENS
factus, ipse hodiernę solennitatis magna
ac præcipua pars esse debeat? An EX-
CELSAM VVITEKINDEI vestri sangvinis
DOMUM commemorem, quæ inter alias
velut inter ignes Luna minores emicat?
An in TE IPSUM æternarum laudum copi-
as effundam? Quo sanè nil majus genera-
ri potest, nec vigere quicquam simile aut
secundum. An vero præconem agam
ELECTORALIUM TUORUM INSIGNIUM, quo-
rũ amplissima gloria vel de coelesti pro-
fecta judicio ad facietatem vix prædicari
posset? An vero Heroos ausus decantare
sumam, quos in TETE, SERENISSIME ELE-
CTOR, quisquis me satis ebuccinare posse
existimat, næ ille tenuitatem ingenij mei
nondum satis exploratam habet, & qui
â quòquam etiam disertissimo, quanti
sint, exhiberi posse arbitratur, næ ille
magnitudinem ILLORUM penitus igno-
rat. In quorum omnium anxiam medi-
tatio.

tatione dum verfor, nescio quô pacto me,
totum hodierna TUA FESTIVITAS in FUL-
GIDISSIMAM ELECTORALIS ENSIS TUI ACIEM
abripit, jubetq; quasi ad pauxillum tem-
poris interstitium, oblita RUTA, illum solū
admirari, & late VICTRICES EJUS RADIOS
intentis intueri oculis. Grandia sunt
hæc, fateor, & dum vel tenuissimus ego
illa conor, inq; splendidissimis NATALI-
TIORUM FERIIS COELESTEM HUNC ENSEM,
tanquam IMMORTALE ILLUD IUSTITIÆ PI-
GNUS, extremo velut ore exosculari, nec
non religiosa hac dextera arripere per-
tento, in quo alio fundamento innitar,
nisi in sola TUA COMITATE verè demiran-
da? quæ interea dum TIBI communes
plausus dantur, ut & præsentis meos irra-
diet conatus, est quod humillimis præci-
bus obtestor. Vos modo, AUDITORES
OPTIMI, assurgite sacro huic ENSI, & lin-
guis animisq; favete.

Sed quid aliud nunc magis optem,
EXCELSISSIME ELECTOR, quam eam
fore balbutiei meæ vim ac virtutem,
ut rudi saltem penicillo tantæ molis
rem tantique ponderis argumentum

A 3

adum.

adumbrare liceret! Sequendum ta-
men est, & iis insistendum vestigiis,
quæ MAJESTAS TUI NUMINIS præmon-
strat, & quò IMPERIALIS HOC INSIGNE DI-
GNITATIS ducit. At quænam abyssus, &
quæ profundissima origo sese aperit?
quæ tempora uno quasi volumine & in-
numerabili pene annorum serie anna-
les suos proferunt? Quò nos clamor &
faventium turba in Capitolium vocat?
Videor mihi videre veteres ROMANI
REGNI IMPERATORES, qui lectis PRÆTORIO
PRÆFECTIS cingulum cum GLADIO coa-
ptare consueverant, ut ita creati, districto
ense potestatem haberent animadver-
tendi in facinorosos, quos nunquam an-
tecedentes scelestos claudò pede poena
deserit. Videor mihi audire masculam
illam Optimi Principis vocem, quum
aliquem hoc ENSE donaret: ET HOC, in-
quientis, SI E REPUBLICA IMPERAVERO PRO
ME, SIN SECUS, CONTRA ME UTERE. Quam
potestatem Prætoriam illi faciebant tan-
ti, ut etiam post funera æternis eorum
monumentis inscribi hos titulos impe-
rarent, quod & ipsa invidiosa temporū
obli-

oblivio integrum relinquere coacta est,
vel in unum marmore, quod vindicare eorum
memoriam debuit: ita enim vetus
lapis habet:

PUBLICO. MÆCIO. MEMMIO.
FURIO. BALBURIO. CÆCILIANO.
PLACIDO. C. V. PRÆFECTO. AN-
NONÆ. URBIS. SACRÆ. CUM.
JURE. GLADII.

Magnum quidem hoc est, sed nescio
an majus sit, quod maximus GLADIO ha-
bebatur honor, quando iste NUPER
ELECTO IMPERATORI in manu traderetur,
in summi juris eximiaque potestatis indi-
cium. Adde, quod eodem fonte pro-
fluxerit ea consuetudo, ut IDEM etiam Re-
gibus, per omnes Europæ partes prælati,
ut ita omnibus innotesceret, esse
Hos sacros celebresque viros, quos laude
serena.

Infula vel GLADIUS mundo facit esse
verendos.

Sed quid de Regibus dicam? Quasi
TU, PRINCIPUM MAXIME, eorum sangui-
ne minor, aut non etiam regibus editus sis
atavis? aut quasi ELECTORALIS TUI ENSIS
MA-

MAJESTAS eorum dignitati quidquam
concedat? An nescimus OTTONEM III.
IMPERATOREM, cujus cum annis imperiū
olim & res longe exporrectas novimus,
tot rebus pace pulcherrime ab eo consti-
tutis, tot illustribus facinoribus postero-
rum memoriae relictis, & haec praedi-
candas destinationes addidisse, ut haec
singularis SEPTENVIRORUM MAJESTAS, pro-
ut cuique illam tribuerat, aeterna continua-
tione iis firma & perpetua esset. Dudum
sane est, ubi Vos, POTENTISSIMI ELECTO-
RES, quorum humeris IMPERII CELSITUDO
committitur, pares aestimati Regibus, qui-
bus coeteroquin solis praeceteris Orbis
principibus primus adsignari locus con-
suevit. Involvo jam silentij Conopoeo
verba sacratissimae vestrae, quam voca-
tis, AUREAE BULLAE. Loquitur pro me hi-
storia Concilij Tridentini, in quo post
Pontificios legatos principem locum,
quialij obtinere quam ELECTORES? QUI-
BUS & aliquando in Ratisbonensibus Co-
mitiis, ne Regibus quidem, si adfuissent,
cedere in mentem venerat. Quod &
RUDOLPHUS II. olim iis dedit, qui ob
electio.

electionem IMPERATORIS, CUJUS MAJESTAS,
parem non agnoscit, illos & omnibus
Principibus & ipsis Regibus prætulit.

Hæc vero GLADII ELECTORII Digni-
tas, cum tanta sit, quanta vix ab alia,
quam SAXONICA DOMO capi possit; an-
tequam tamen ad TUUM SANGVINEM,
SERENISSIME ELECTOR, proprius defer-
retur, per alias Illustrissimarum SAXO-
NIÆ DOMORUM splendidissimas sedes
cum invidendo temporum successu pri-
us devoluta est. Nimirum divinarum
coelestiumq; rerum æmulata consecuta-
que est ordinem, quæ per ambages sæpè
ad sedes suas proprias progredi consue-
verat. Prima verò inter eas LUNÆBUR-
GICA HERMANNUM BILLINGUM, BENNONEM,
BERNHARDUM, ORDOLPHUM, postremum-
que ex hac origine ejusdem nominis
protulit. SUPPLINBURGENSIS deinde LO-
THARIUM successorem dedit, quem BAVA-
RICA HEINRICUS SUPERBUS & HEINRICUS
LEO subsecuti sunt, & quibus per ordinem
successionis in ANHALDINA BERNHARDUS
(quem primum corona rudacea redimi-
tum FRIDERICUS IMPERATOR reddidit)

B

cum

cum tot ALBERTIS, tot RUDOLPHIS aliisque pluribus adjectus est. Sequentium annorum superventu, postquam hanc stirpem mors finiverat, in infelicissimo ALBERTO, quæ vix ex incendio summo terrore percussum subriperant, SUMMA hæc IMPERII DIGNITAS THURINGIAM MISNIAMQUE occupavit. Primum autem qui exinde promineret, fuisse accepimus, FRIDERICUM BELLICOSUM, illum Borussiae domitorum, terrorem Comitum Schwartzburgensium, felicem in auxiliis SIGISMUNDO IMPERATORI contra rebelles Bohemorum copias Socium Musarum Pragæ-exulum hic Lipsiæ Statorem-Principem: Necullæ tamen TOT AUGUSTISSIMÆ PRINCIPUM FAMILIÆ longiorem habuere successionis feriem, quam ubi ad STIRPEM TUAM, POTENTISSIME ELECTOR, HÆC DIGNITAS devenit, & tanquam aurea catena anfulis nunquam deficientibus, in longum latumque extensa est. Quod vel ideò hic dicendum erat, ut exinde MAJESTATEM HUIUS ENSIS colligeremus, de quo nunquam magnificentius sentiendum est, quam hoc temporis, quò ILLUM maxima pompa summisque studiis, ut INSIGNE
DIVI-

DIVINÆ JUSTITIÆ INJURIARUMQ; VINDICEM
in sollemnissima hac Panegyri, excipia-
mus. Nec tamen ambitiose nunc pan-
dam ordinem tot annorū, quos vel du-
centos, & qui excessere octo & triginta
effluxisse cernimus, in quibus hæc jura
GLADII in HAC ILLUSTRISSIMA STIRPE
prævaluere. Hoc enim est maximum
illud maxime verendi ENSIS Tui, O
POTENTISSIME ELECTOR, DECUS, hæc
est dignitas summi hujus Tui plane REGII
GESTAMINIS, quod non ab hoc IMPERA-
TORE, nec ab uno, sed à prisco Romanorū
Orbe tantā cum potestate dignitatem ac-
cepisti. Inde in sanguinem Tuum de-
fluxit, illumque tot annorum spatio sibi
propriū vindicavit. Eundē quippe
GLADIUM & FRIDERICI PLACIDI, atque
SAPIENTES, GRAVES ERNESTI, JOHANNES
CONSTANTES, ANIMOSI MAURITII, PII
AUGUSTI, MAGNANIMI & MUNIFICI
CHRISTIANI, dominante CÆSARI manu
prætulerunt. Quos inter silentio neu-
tiqvam prætereundus latisimus ille
& per spatia XLVI. annorum excur-
rens honor DIVI TUI PARENTIS,
B 2 qvi

qvi in toto terrarum orbe, qvos Sol ori-
ens vidit aut occidens, imò extra orbem,
in supremo illo beatorum coelitem con-
fessu, intaminatis honoribus fulget, æ-
ternumq;, per innumerabiles seculorū
myriades fulgebit. Quâ enim autori-
tate, qvo applausu totius IMPERII, quâ
laude omnium terrarum, quò amplexu
omnium Principum ille tot IMPERATORI-
BUS CUM JURE HUIUS ENSIS præcesserit,
nulli non nostrū desideratissimâ adhuc
obludit imagine. Et fecit hoc, uti IPSE,
SACRATISSIME ELECTOR, id hodie præstas,
non inter cœtus vulgares, sed in augu-
stissimis IMPERATORIS, ELECTORUM RE-
GUM COETERORUMQVE PRINCIPUM, COMI-
TIS, in quibus etiam fulgor huius VESTRI
GLADII adeo usque dignus fuit habitus,
qvi non nisi proximus ante IMPERATOREM
â VOBIS gestetur. Quò honoris agalma-
te, tam impatiens alieni extat, ut ne sum-
mi Pontificis cruces aliorumve insignia
Principū, â socio latere velit agnoscere,
ut potius solum inter IMPERIALE POMUM
SCEPTRUMQVE mediò locò eminere fata-
gat; Hac insuper lege, ut nullas hodie
ali-

alias, quam Tuas, & in quas, AUGUSTIS-
SIME PRINCEPS, hæreditaria demum suc-
cessione derivabis, admittat manus ELE-
CTORIAS. Hæ quippe solæ ad hoc divini-
tus sunt destinate, ut in iis duntaxat ENNIS
Hic cœlestis suo coruscet fulgure. Sed
quorsum ille sanctissim9 GLADII Tui ful-
gor? Quorsum acies illa acerrima ab
utroque latere perstringit? Fallor an
hoc ipso de verberando aëra audio vo-
cem illam gravissimam: FIAT JUSTITIA
AUT PEREAT MUNDUS! Hanc enim officij
rationem præ se ferre, hanc solam de-
fendere virginem unicuique factus vi-
detur. Credo ut maculosum nefas edo-
mari, HOC ENSE impiæ cædes rabiesque
malorum, Hoc deniq; ADMINISTRATORE
indomita licentia refrænari queat.
Quotusquisque enim nostrum ignorat,
JUSTITIAM non tantum esse virginem
DEIQ; filiam, quod gentiles olim veluti
per transennam cognoscebant; sed esse
potius fulcrum & columnam totius ter-
rarum orbis, quæ ideò incorruptior & in-
violanda tuenda, quod digitis DEI per-
scripta, quod sola inter homines &

belluas discernere docuit. Hæc scilicet
leges dare consuevit, hæc nos bonæ
mentis habitu instruxit, ut cum feras
mutuo sese devorare videamus, eò quod
communitate juris careant, ab earum
immanitate, in jura divini Numinis in-
tuentes, retrahamur. Quæ omnia aliò
tamen non tendunt, quam ut non magis
amor sanctissimæ JUSTITIÆ in nobis ex-
citari debeat, quam splendor hujus illi-
batæ DEFENSORIS in circumstantium
oculis atque animis illucescat. At quò
fugitis vos impij scelestique malorum o-
mnium fabri & affeclæ, qui non tantum
supinos animos in gravi flagitiorum
coeno derelinquitis, sed etiam, quod ve-
rè ex sententia Plutarchi ferinum est, id
quod melius cognoscitis ab eo quod de-
terius est, ad quod propter incontinen-
tiam & mollitiem trahimini. Reflectite
quæso gradum, & ad meliorem frugem
vos recipite. Imminet ENSIS, inseqvi-
tur GLADIUS, nisi optima quæque subse-
qui constituistis, colla huic submittite.
Sed, evadite, licet, excedite, erumpite,
lentus est GLADIUS, lenta est poena,
quæ

quæ tacitis etiam pedibus, cum fors tu-
lerit, comprehensura est. Et hætenus
quidem intra parietes SPLENDOREM HU-
JUS ENSIS detinuimus, nunc aliquantis per
ejus radios per aëra spargamus, ut longè
latèq; hic victor fugaces hostes persequa-
tur, timidisq; eorum tergis inhæreat.
Quod oriente sole nebulis accidit, ut
disipatæ & discussæ evanescant, idem
etiam torvum & cruentum Martem ex-
periri videmus, ut visò HUIUS GLADII
fulgure, quâ via facta, iratam multitudi-
nem effundere cogatur. Hoc quippe
modo, summæ Majestatis custodem ve-
reri, ac revereri jusq; fasq; est. Nihil e-
nim aliud injicere hostibus potest, nisi ter-
rorem, & ad nihil aliud redigere, quam
adfugam. Hincfanè, quoties in effusam
hanc populi Tui multitudinem conver-
to oculos, ita invenio, non magis ad
VULTUS TUI-BLANDI pariter & AUGUSTI
conspectum erectas animas, quam ad
AMPLISSIMUM GLADII HUIUSCE FULGOREM
intentas. Qui quidè tantâ angustia non
capitur, ut una hæc nostra SUPERIOR
SAXONIA ILLUM includere, aut inter-
cipere

cipere possit, quin potius per latisimas
ROMANI IMPERII oras totamque ferè
EUROPAM circumfundatur. Idcirco
si quando BICEPS IMPERII ISTA AQVILA
fatis coacta, ad fortunatorum nemo-
rum beatas evolavit sedes, quid aliud
Principes Proceresque in tranquillæ pa-
cis unitatisque consensu coercere potest,
quam ENSIS HIC IMPERIALIS? Quæ
summa rerum potestas vel bis in AUGU-
STISSIMO TUO PARENTE, SACRATISSIME
ELECTOR, visa est, uti & sub primis regni
tui auspiciis eadem TE supremo huic re-
rum fastigio Divina bonitas imposuit.
Et, me Christè, si dicendum sit, de quo du-
bitare tantum nefas, quam virtus HUIUS
GLADII TUI in rebus arduis sese efferre
consueverit, tunc apparebit, Hunc u-
num esse victorem veritatis hostium.
In hos enim POTENTISSIMA Domus Tua
eum præcipue stringere, aut strictum,
cum opus fuerit, convertere solet. Ni-
mirum Ipse, SERENISSIME ELECTOR, AUGU-
STISSIMI AUGUSTI amoris in Dei verbum
hodie meministi, pro quo vel nudato sub
GLADIO Serva DEUS Verbum Tuum
con-

concinuerat. Recordaris PIISSIMI &
MAGNANIMI PARENTIS, QUI ad CHRISTUM,
UT UNICUM VITÆ SUÆ SCOPUM, stricto
Hoc collimabat. Hinc tot irruentium
luporum in ovile Christi impetus, tot ru-
gientium in gregem DEI leonum inful-
tus, non sustinuit modo, sed etiam re-
presit, imò oppresit HIC VICTOR GLA-
DIUS. Jam vero ubi HEROAS ISTOS lætior
exceptit mundus, & à POTENTISSIMIS TUIS
MANIBUS GLADIUS ILE exceptus est, ad
TE etiam solum confugimus, O DECUS
ROMANI IMPERII, O AMOR & ACHATES,
aut quod malit ille, Parens IMPERATORIS,
O SPES & PRÆSIDIUM ECCLESIAE VERÆ A-
SYLUMQVE INCORRUPTÆ RELIGIONIS. Tu
nunc es regionum, Academiarum, Scho-
larumqve ATLAS, FULCRUM, & NUTRITIUS:
Tu bonorum portus & perfugium: Tu
viduarum & Orphanorum, imò PATRIÆ
PATER OPTIMUS, MAXIMUS. Sed per-
mitte quæsumus, O PATERRIME
PATER PATRIÆ, dulciori enim no-
mine sensum humilitatis nostræ ex-
primere non possumus, permitte, quæ-
sumus, inter tot lætantium animorum,
C lacri-

lacrimarum & risus commistiones, NITIDISSIMUM HUNC ENSEM, unde tutela & regimen in omnes, vel una sinceri affectus guttula osculari, indeqve solutō conscientiae nostrae debitō, qvales nos esse vides, aut esse cupias, contestari. Testes sunt tot circumvoluti annales, SAXONIAE ELECTORES, non magis sanguine, quam virtute PRINCIPUM induisse titulos. Hæc enim CANDIDUM CABALLUM MERUIT, HÆC VIRIDISSIMA RUTA capita vestra impedivit, hæc sedem soliumqve ad latus IMPERATORIS concessit & paravit. Necessè quippè erat ac æqvum ut ii proximè apud IMPERATOREM in excelsissimo dignitatis gradu poveherentur, QVOS ipsis Christianus orbis salutare IMPERATORES maluisset, nisi innata illorum virtus illud disvasisset, ut quæ, cum ad summos honores contendere possit, leni quōdam humilitatis Spiritu demittere sese confuevit. Quæ omnia tanta sunt, ut paucitate ingenij mei comprehendendi non possint, præsertim cum

cum majora infuper feqvantur & ac-
crescant. Nescio enim qvo pacto lo-
quenti de GLADIO, de GLADIIS loqui
imponatur. Quis enim credat GLA-
DIUM gignere posse GLADIUM, nisi
aut ILLUSTRISSIMUS HEROS JOHAN-
NES GEORGIUS III. QVEM AVITÆ
PATERNÆQVE VIRTUTES etiam in hâc
ætate, MAGNUM ostendunt, DIGNITA-
TEM ENSIS Hujus multiplicaverit, aut
Illustre decus & splendor oculos meos
ita obcoecaverit, ut & Duos videre
& de de duobus verba facere necesse sit.
Fallor an rigor ille Sanctæ Justitiæ
majores immittere radios incipit, an
ambo ISTI ENSES decussatim pro CHRI-
STO CRUCIFIXO in acie decertare parati?
An quod SURSUM pro Numine,
DEORSUM pro patriâ in hostes vibra-
re cogitas? Quod adeo verum est,
ut prætereâ, si quando, quod divina
bonitas nunquam velit, DEUS aut
pestilenti aut bellicoso GLADIO in nos
impetum facere constituisset, Tu
SOLUS DUPLICI HOC GLADIO
tanquam signo CRUCIS CHRISTI
C 2 eum

eum blandâ quâdam vi reprimere, ejus-
que numen mite & placidum reddere
queas. Addo quod ENSES hi defensores
nostri sint, non tam quod duplices, quàm
quod in manibus Tuis, FORTISSIME HERO-
um, conspiciantur, quod Zelus & vis per
medias hostium cædes, ubi necessitas legē
dederit, rapere possit. Nec minùs in
pace nos incolumes conservare valent.
Cui enim magis acceptum referamus,
quàm TIBI, O PATRE EXCELSO, EXCELSIOR
FILI, quod inter tot funesta Germaniæ
vicinorumq; bella, nullo nostrorum da-
mino, in urbibus agrisque nostris pacem ha-
buerimus? Atq; dum hâc jucundâ medi-
tatione delector, in superioris seculi res
gestas intueri tacitè jubeor. D. MAURI-
TIUS, QUI IN HANC LINEAM, quam vocant
ALBERTINAM, DIGNITATIS HOC FASTIGIUM
primus intulit, & D. AUGUSTUS FRATER
SUCCESSOR, QUI hanc à MAURITIO acceptâ
dignitatem in ILLUSTRISSIMAM STIRPEM
hæreditariò jure transmisit, anteme con-
sistere GLADIOQ; HOC ELECTORALI accin-
cti incedere mihi videntur. MAURITIUS,
illud LUMEN & FULMEN SUI TEMPORIS, in
hostes

hostes GLADIUM SUUM stringit, RELIGIO-
NIS DEFENSOR, LITERARUM STATOR, & VI-
CTOR AUGUSTISSIMUS. AUGUSTUS domi
GLADIUM Justitiæ gerit, & rebus maximè
arduis in pace laudabiliter confectis,
FRATRI AC ANTECESSORI SUO paria omninò
facere videtur. UTERQ; GLADII sui Jure
ita utitur, ut DEO ac JUSTITIÆ, regionum
SALUTI, bonorum omnium desideriis fa-
tis fiat. O quàm in hac bigâ Tu, POTEN-
TISSIME ELECTOR, unâ cum DIVO PARENTE
Tuo depictus es! Quàm HEROAS istos
meritaq; ingentia hoc nostrò ævò refer-
tis! PARENS TUUS, INDULGENTISSIME DOMI-
NE, in ea inciderat tempora, quæ GLADI-
UM vaginâ vacuum, quæ bellicos ausus
exposcebant. Pro veritate itaq; atq;ve
Imperij libertate GLADIO utebatur Suo
HEROS MAGNANIMUS, donec pacem non
minùs quàm hujus GLADII jura TIBI FILIO,
CLEMENTISSIME Elector, reliquit. In TE
igitur AUGUSTUM accepimus, qui Eccle-
siæ halcyonia, Reipublicæ tranqvillita-
tem, civium studia, omniaq; à DIVO PA-
RENTE, in bello non sine molestiis parta ac
defensa, in summa tranqvillitate fovebis,

ac æterna præstabis. En igitur GEMINUM GLADIUM, UNUM in bello, in pace ALTERUM occupatum, UTRUMQUE DEO acceptum, Reipublicæ utilem, & à nobis civibus gratis humillimè exosculandū! Faxit verò DEUS, ut unicò illò, quem in pace unà cum imperio Tuò in manus TUAS, FORTISSIME PRINCEPS, primùm accepisti, pacis turbatores ulterius TE uti permittant. Secede cruenta Mars, secede ad Garamantas & Indos, hæ terræ nullam TIBI sedem promittunt. Vides HOS GLADIOS, HOS DEFENSORES NOSTROS TUOSQ; VICTORES, qui TE, nisi conquiescere volueris, ad turpissimam desperationem adigant. Commorare verò pax, firma gradum, fige hic tua tentoria aurea Germanorum Libertas; Hic tutela sub GLADIO, hic pax & requies LATEVIRENTIS RUTÆ. Ita enim jam nunc invota dissolvi necesse erat. Dabimus quippè MAJESTATEM TUAM etiam aliis adorandam, quam tamen in animis votisq; nostris æternum habebimus. Et si ea inter tot acclamantium suspiria audire libet, brevia hæc, sed sincera, & quæ ex
ipfis-

ipfisimis pectorum adytis profecta,
accipe. DEUS TE tueatur: DEUS
TE costodiat, DOMINE, Illi Pietas TUA,
illi ENSIS curæ fit atque cordi: Ille omne
lacrimosum, nebulosum omne a TE TUA
QUE ELECTORISSA & PRINCIPE SOBOLE
TOTAQUE DOMO SAXONICA, in Turcas &
Barbaros nostrâ motus prece agat.
DEUS TE SERVET, Firmatum ornatum-
que incrementis lætissimis in omnes
transferat ætates, DEUS HUNC ENSEM
foveat, ut etiam gravissimus hostium
Turca, quem neque Persicus Ensis deter-
ret, nec sævus ignis, nec tremendo Jupi-
ter ipse ruens tumultu, Huic ENSI devi-
ctas manus porrigat, pacisqve solidæ
& honorum opulenta copia benigno co-
nu nobis, in FELICISSIMO REIPUBLICÆ
STATU, sub HOC ENSE maneat. Faxit
JEHOVA-DEUS, RERUM SATOR atque
CUSTOS, cui cura Tui, ELECTOR, data
est, ut conjurati nostri hostes, qui nostra
rumpere Halcyonia & vetus imperium
tentant, mala a vi domum repetant, &
HUNC ENSEM, metuere cogantur. Ut
porro securè per urbes nostras ac agros

FK 9/4925

vivere nobis sit integrum, nec infestos
metuere hostes, nec martiales sub Hoc
ENSE vereri copias: Ut diu lætus inter sis
populo Tuo, serusque & non nisi functus
mortalium statione longissimâ, consum-
ptis felicitatis humanæ muneribus, in
coelum redeas, ubi ANIMA MAGNA, quam
JESUS multâ parte sui rosei sanguinis
imbuit, beatis Angelorum choris inter-
feratur: Ut interea DEUS TUAM con-
stantiam, hunc Tuum in nos animum
seruet, augeatq;, ut HANC TUTELAM, HUNC
ENSEM, HUNC PUBLICÆ SALUTIS DEFENSO-
REM GLADIUM, quô nulla majora suppli-
ces hic Tui agnoscimus aut requirimus,
perpetuum propriumque nobis
posterisque manere
patiatur.

SURSUM-

DEORSUM!



DIXI.

nc

estis
Hoc
erfis
ctus
um
, in
vam
vinis
ater-
con-
num
UNC
NSO-
pli-
nus,
UM!
H
po

ULB Halle 3
004 802 87X


VD 17





insigni elogio referam famam eius incluy-
 tam, quæ in TE TUISQVE FRATRIBUS ad-
 huc velut arbor occulto ævo crescit u-
 berrimè? An beatum præ-
 factus, ipse h-
 ac præcipu-
 CELSAM VV-
 DOMUM con-
 velut inter i-
 An in TE IPS-
 as effundam-
 ri potest, nec
 secundum
 ELECTORALI
 rû amplisim-
 fecta iudicio
 posset? An v-
 sumam, quo
 CTOR, quisq-
 existimat, n-
 nondum fat-
 â quôqvam
 sint, exhibe-
 magnitudin-
 rat. In quorum omnium anxîâ medi-
 tatio-

